ORATIO

pia, & erudita pro statu illustrissi-
morum Principum [illegible] & Mariæ, [illegible] Angliæ Franciæ [illegible] de multos annos [illegible] illustrissimam Reginam faciat pulchra prole letam matrem.

Hann: Dyson

DOMINATOR domine deus qui respicis orationē humiliū, & non spernis preces eorum, Inclina de excelso cælorum habitaculo, oculos misericordie tue ad nos humiles peccatores, flectētes genua cordis nostri, multis et altis suspirijs peccata, et scelera nostra gemētes, humiliter, intentis oculis, expāsis q; supplicibus manibus, orantes atque obsecrantes, ut ancillā tuam, Reginam nostram Mariam, cuius non est auxiliator alius præter te, scuto tue protectionis defendas, & quam grauidam ex tua gratia esse voluisti, hanc aduenīente partus sui tempore obstetricante manu tua dextra, gratiose libera, & ab omni periculo cum prole in ea con-

cepta clemẽter præserua, Hoc uisũ est in conspectu tuo misericors pater, ut per ancillam tuam Mariam faceres magnalia hæc, ut in manu eius deijceres hostem fortem, & nos populum tuum eriperes de manu hæreticorum, perfidorum, inimicorum tuorum, & crucis dilecti filij tui Iheſu Christi, ut de ancilla tua loquereris in longinquũ. Iccirco propter hæc magnalia tua quæ facis seruis tuis, magnificatus es domine deus in sempiternum. Et nos populus tuus benedicimus te deum cœli, qui feciſtinobiſcum miſericordiam hanc magnam, & excluſiſti a nobis hæreticũ, ueritatis inimicũ eccleſiam perſequentem. Scimus domine, ſcimus quia peccauimus ualde, uanitate ſeducti ſumus, & dereliquimus te deum noſtrum, iniquitates noſtræ multiplicate ſunt

ſuper caput noſtrũ, & delicta noſtra creuerunt uſque ad cælum, et nos ipſi peccauimus, & principes noſtri, et ſacerdotes noſtri. Meruerunt enim hæc ipſa peccata noſtra hypocritam principẽ, meruære peccata noſtra principem tyrannũ, qui uitam noſtrã ad amaritudinẽ perducat. Non enim ſumus digni principe tam clemẽti, tam miſericordi, tam pia, tantis denique decorata uirtutibus, qua iam uel incipienti regnare, quaſi noua lux religionis diuine, nobis oriri uiſa eſt, Iudith uiduam una uoce benedixerũt Iudei dicentes, Tu gloria Hieruſalem, tu letitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri, eo quod caſtitatẽ amauerus, & eris benedicta in eternum. Et nos Angli unanimiter clamamus, tu Maria, gloria Anglorum, letitia noſtra, honorificen

tia populi, & eo quod castitatem amaueris, confortatum est cor tuum, manus enim domini cōfortauit te, & ideo eris benedicta in æternum. Sed inclina pijssime pater, aurem tuam, & aperi oculos tuos, & uide tribulationem nostram, & humilem confessionem nostram. Tu scis domine quoniam testamenti tui sancti, & ecclesiæ sponse tue, inimici, contra Philippum, non humana sed tua prouidentia Regem nostrū et Mariam ancillam tuam, tuaque ordinatione Reginam nostram, tui testamenti, tueque fidei assertores, & sanctæ ecclesiæ defensores constantissimos, rebelles sunt infestissimi, ac murmuratores queruli, iuxta concupiscentias suas ambulantes, quorum os loquitur tumida, ut hæreticorū, scismaticorūque regnū

statuant,

ſtatuant, robore manuum ſuarum
uolunt tua mutare promiſſa, & tu-
am hæreditatem diſperdere, et de-
lere, & claudere ora laudantiũ te,
& extinguere gloriam eccleſiæ tuæ
catholicæ, & altaris. In promptu
eſt quot rixæ, quot conſpirationes,
ac ſeditiões, quãta bella, qui tumul-
tus, quot et quante tribulationes,
quot hæreſes & ſchiſmata, (ſunt
enim hæc hæreticorũ præſertiſſima
machinamenta et indicia) propter
peccata noſtra imineãt nobis, ſi ab
hac luce auferatur ancilla tua, ag-
noſcimus enim quod dominus om-
nipotens eſt qui poſuit habitaculũ
in medio populi ſui ut eriperet nos
de manu inimicorum noſtrorum.
Conuerte ergo uultum tuũ ad nos,
oſtende nobis domine faciem tuã,
redde nobis propter peccata noſtra

quic-

quicquid placet, tantum nunc libera nos. Nos genua cordis nostri flectentes præcamur ne in eternum reserues nobis mala, & laudabimus te omnibus diebus uitæ nostræ. Audi clamorem nostrum, & orationem populi huius, & aperi eis thesaurum misericordie tue, gratiam tuam, fontem aque uiue. Tu qui cæpisti, fac in manu ancille tue opus perfectũ, Ne queso dicant perfidi rebelles de tua ancilla & his qui ei sunt a concilijs, cogitauerunt concilia quæ non potuerũt stabilire. Et da ancille tue feliçem & optatum partum. Non est enim impossibile tue potentie, nec indecens tue iusticiæ, nec insolitum tue clementie, Satis nobis compertũ est quam mirabiliter operatus es in Sara nonagenoria, & in Elisabeth ste-

sterili, & prouecte ætatis, nõ enim est in potestate hominum tuum cõcilium. Tu domine qui es scrutans corda & renes, tu scis: quia nunq̃ concupiuit uirum ancilla tua, nunquam cum ludentibus miscuit se, sed neq; cum his qui in leuitate ambulant, participem se præbuit, uirũ autem cum timore tuo, non cum libidine sua consensit suscipere: tu scis quod ancilla tua non luxurie causa accepit uirum, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in secula seculorum. Da igitur seruo tuo Philippo Regi nostro, & Mariæ ancille tue sexũ uirilẽ, qui sædeat in solio regni tui. Da ancille tue infantulũ, forma elegantẽ, & prudentia insignẽ. Sit obediens ut Abrahã, hospitalis, ut Loth, castitate & fraterna

dilectio-

dilectione præditus ut Ioseph, sit mitissimus ut Moses in omni terra, sit fortis & per omnia strenuus ut Samson, sit inuentus fidelis, ut David secundum cor tuum. Sit sapiens ut inter Reges sapientissimus Salomon, sit quemadmodum sanctus Iob uir simplex & rectus, timens deum & recedens a malo. Sit denique omnium morum decore ornatus, et in eis consenescat, & uiuat, & uideat filios filiorum suorum, usque ad tertiam & quartam generationem. Et inclitus Rex noster Philippus ac illustrissima Regina nostra Maria, sint benedicti, & sint longæui super terram, Reges & Reginæ de illis egrediantur qui permaneant in fide, dilectione, & sanctificatione. Et sit semen eorum benedictum a deo sancto nostro, ut

cognos-

cognoscat uniuersitas gentium quia tu es deus solus in uniuersa terra, qui es benedictus in secula seculorum. Amen.

Finis.

Excusum Londini in ædibus Iohannis Cawodi, Typographi Regiæ maiestatis.

Cum priuilegio.